

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

VII.

OTTONIS III. IMP. DIPLOMA, PER QUOD LOCO
VILLINGEN JUS PUBLICI MERCATUS, MONETÆ AC
TELONII CONCEDIT.

ANNO DCCCCXCIX.

Ex Archivo Fürstenberg.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. OTTO superna functus Clementia Romanorum Imperator Augustus indignus. Si fidelium nostrorum petitionibus assensum præbuerimus, nobis inde illos fideliores esse credimus procul dubio, quâ de causâ universæ ætati scilicet præsentis sæculi & futuri ævi notum esse volumus, quoniam nos Duce Egregio Hermanno rogante (a) B. Comiti nostro donavimus, largiti sumus & concessimus Jus fas & potestatem, in quodam suo loco Villingen dicto publicum faciendi & construendi mercatum, cum moneta, Teloneo, ac totius publicæ rei banno. In Comitatu quoque Hara, quem Hildebald Comes tenere & potenter videtur placitare, atque idem nostræ Concessionis auctoritativæ mercatum fore legitimum cum omni publica functione, Imperiali decrevimus præceptione omnium hominum postposita Contradictione, tali videlicet Juris Dispositione, ut cuncti,

(a) Intelligitur Hermannus II. Sueviæ & Alfatia Dux, de quo *Alfatia Illustr.*

Tom. II. pag. 543.

qui illum jam dictum mercatum visitare Cupiant, securé & cum totius tranquillitatis pace eant, redeant, & sine iniusto quolibet Damno negotium suum excolant, scilicet Comparando, emendo, vendendo & quidquid huius artis nominari potest faciendo. Et si hoc quod patet prædicti mercati firmamentum quisquam mortalium violare, Irritare, seu Infringere præsumperit, se sciat Compositurum talem nostræ reipublicæ bannum, qualem ille Componeret debitor, qui illum mercatum *Constantiæ* aut illum *Thuregi* aliqua temeritate frangeret five Contaminaret. persolvat quoque hunc ipsum bannum Imperialem prædicto *B. Comiti*, aut cui dare voluerit, habeatque idem modo dictus Comes licentiam tenendi, Commutandi, Donandi, & quidquid sibi placuerit de prænominato mercato disponendi.

Et ut ista Concessio nostræ auctoritatis permaneat indissolubilis & perseverans hanc paginam, ut videtur subtus manu propria Corroboravimus. Sigillo nostro plumbeo figillare præcepimus. Datum 4to Kalend. aprilis anno Dominicæ Incarnationis D° C° C° C° XC° VIII Indict. 12. anno tertij Ottonis regnantis 12. (*b*) Imperij 3. actum *Romæ*.

Signum Domini Ottonis (locus monogrammati) Imperatoris Inviçtissimi.

(*b*) Latet hic vitium. Annus Regni XV. conspirat cum anno Imperii III.
